



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 58. Galliarum Rex inter ambos Principes controversiæ arbiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A.C. 1509.

§. LVIII.

*Galliarum Rex inter ambos Principes
controversiæ arbiter.*

Marian. lib. 29. n. 90.
Guicc. lib. 8.
Gabriel hist. Hisp. lib. 20. c. 12.
Raynald. hoc ann. n. 29.

Ceterum litis hujus decisio remittebatur iudicio Ludovici Regis, quem unacum Cardinale de Ambasia Cæsar, Rexque Catholicus communi suffragio arbitrum elegerant. Itaque in Blesensi conventu Mense Decembri concordiæ leges his concipiebantur articulis. I. Rex Arragoniæ, quamdiu viveret, modo nuper exposito Castellæ regimen retineret. II. Si prolem masculam ex Germana Regina conjuge sua suscepturus esset, Archiduci Carolo Nepoti suo, Castellani regni successionem fartam servaret, nec eum secundi thori proles in regnorum suorum possessione turbarent. III. Rex Catholicus harum conditionum fidem cautione quoque idonea muniret. Denique post nonnullas contentiones super ejusmodi cautionibus motas, sancitum ut utriusque regni Ordines ad Carolum veluti legitimum Castellæ, Legionis, aliorumque inde dependentium Regnorum hæredem ac Successorem agnoscendum, necnon ad homagium eidem tanquam Regi præstandum adigeret, postmodum vero ipse in proximis Ordinum Castellæ comitiis jurato promitteret, se, prout antea pollicitus

citus esset, integra fide eadem Regna ad-
ministraturum, donec Carolus Archidux
ejus Nepos pupillarem ætatem egressus
esset. Hæ conditiones, si Marianæ fi-
des, jam inter partes conclusæ fuerant,
priusquam Galliarum Regi, ac Cardinali
proponerentur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1509.

§. LIX.

*Oramum a Cardinale Ximenio suis
sumptibus expugnatum.*

Dum interea Arragoniæ Rex totus in
eo erat, ut suam in Castellæ Regno
auctoritatem firmaret, Ximenius vulgo
dictus Cardinalis Hispanus, Regis Catho-
lici ditiones apud Mauros ampliare stu-
duit, eique labente hoc anno subjecit
Oranum, quæ percelebris Algeriani re-
gni urbs est ad Tremesanam oram sita.
Cum enim Hieronymus Vianellus natio-
ne Venetus delineationes omnium mari-
timarum Africæ civitatum a se adorna-
tas Ximenio exhibuisset, inter ceteras
Cardinali præplacuit Orani descriptio,
quam ob causam, ut Ferdinandum ad
urbis hujus expugnationem induceret,
nullum non movebat lapidem: Verum
Rex bello adversus Venetos implicitus,
novam expeditionem suscipere renuit, di-
laudato tamen Cardinalis consilio, atque
ejus executione ad opportunius tempus
protra-

Gomez. in
vit. Xim. l. 4.
Marian. lib.
29. n. 79.
Ciacon. in
Jul. II. to. 3.
p. 280.
Raynald. l. c.
num. 23.